

sacramentum non asservatur; ideo Sanctitas Sua benigne indulget ut in ejusmodi casibus commutata oratorii seu ecclesiae visitatione et sanctissimae Eucharistiae sacramenti adoratione, in orationem Dominicalem et in actus fidei, spei, charitatis, et contritionis, easdem indulgentias lucrari valeant. Cum autem plenaria indulgentia non semper ab iisdem missionariis et fidelibus acquiri possint ob confessorum defectum, sanctissimus Dominus Noster, ne ideo Ecclesiae thesauris prorsus destituantur, christianis omnibus in praefatis provinciis existentibus benigne concessit ut iis diebus in quibus plenaria aliqua indulgentia recurrit, quam ob dictam causam lucrari nequeunt, quatenus corde saltem contriti, ferventes ad Deum pro S. Fidei propagatione preces effuderint, partialem septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam applicabilem quoque per modum suffragii animabus in purgatorio detentis consequi valeant, perpetuis valituram temporibus.

« Datum Romae ex aedibus sacrae congregationis de Propaganda Fide, die et anno quibus supra.

« *Stephanus Borgia, sacrae congregationis de propaganda Fide Secretarius.* »

ARTICULUS VI.

Indulgentia quoad ea quae concernunt indulgentias concessas omnibus Christianis fidelibus.

SUMMARIUM.

1. Alios salutantes dicendo suo vulgari vel latino sermone *Laudetur Jesus Christus*, et respondentes *In saecula*, vel *Amen*, aut *Semper*, lucrantur indulgentiam 50 dierum. — 2. Nominantes reverenter nomen *Jesu* vel nomen *Mariae* lucrantur indulgentiam 25 dierum. — 3. Habentes talem piam consuetudinem sic salutandi et respondendi, vel nominandi nomen *Jesu*, si in articulo mortis, ore, vel corde idem nomen invocaverint, lucrantur indulgentiam plenariam. — 4. Recitantes litanias ejusdem SS. Nominis lucrantur trecentos dies indulgentiae; recitantes litanias B. V. M., ducentos dies. — 5. Praedicatorum qui inter praedicandum monuerint auditores ad hunc modum salutandi, invocandi, aut recitandi, seu nominandi nomen *Jesu* et *Mariae*, et quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, lucrantur easdem indulgentias. — 6. Missae sacrificium devote audientes aut celebrantes lucrantur triginta millia et octocentos annos indulgentiae applicabilis per modum suffragii animabus purgatorii. — 7. Quinquies *Pater* et *Ave* recitantes in honorem passionis Christi Domini et B. Virginis amaritudinum lucrantur decem mille annos indulgentiae. — 8. Recitantes tertiam Rosarii partem lucrantur quinque annos et totidem quadragenas indulgentiae; et insuper lucrantur indulgentias ad instar recitantium coronam S. Birgittae. — 9. Recitantes quidem *Pater* et *Ave* pro iis qui in mortali degunt, consequuntur tertiam partem remissionis peccatorum. — 10. Recitantes *Ave Maria*, *Salve Regina*, caput inclinantes ad veneranda nomina *Jesu* et *Mariae*, caput inclinantes ad *Gloria Patri*, genuflectentes coram SS. Sacramento, osculantes sanctam crucem, recitantes *Benedicta sit sancta et Immaculata Conceptio B. V. Mariae*, quas indulgentias lucrantur. — 11. Sacerdotes ante celebrationem sacri recitantes: *Ego volo celebrare Missam*, etc.; sacerdotes legentes missam ante celebrationem, recitantes in fine horarum canonicarum

Sacrosanctae et Individuae Trinitati, etc., quas indulgentias lucrantur. — 12. Sacerdotes recitantes orationem: *Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe*, etc., consequuntur remissionem omnium commissorum et omissorum in missa, nec non 2500 annorum indulgentiam; item indulgentiam 1000 annorum recitantes post missam orationem: *Anima Christi, sanctifica me*, etc. — 13. Comitantes sacrum Viaticum quando ad infirmos defertur, quas indulgentias lucrantur. — 14. Interveniens orationi quadraginta horarum quas indulgentias lucrantur. — 15. Qui ad pulsam campanam in signum elevationis SS. Sacramenti in missa conventuali aut parochiali, genuflexi ubicunque oraverint, quas indulgentias lucrantur. — 16. In regnis regi Hispaniarum subjectis, quicumque die Commemorationis Defunctorum celebrat, animam liberare potest a poenis purgatorii. — 17. Qui communicant ubi singulis mensibus fit communio generalis a Patribus Societatis, lucrantur indulgentiam plenariam, applicabilem pro defunctis. — 18. Recitantes flexis genibus vespere ad pulsam campanam *Angelus Domini*, etc.; *Ecce ancilla Domini*, etc.; *Et Verbum caro*, etc., cum tribus *Ave Mariae*, lucrantur indulgentiam plenariam. — 19. Recitantes flexis genibus ad pulsam campanam mane, meridie, et vespere *Angelus Domini*, e. c.; *Ecce ancilla Domini*, etc.; *Et Verbum caro*, etc., cum tribus *Ave Mariae*, quas indulgentias lucrantur ex novissima concessione Benedicti XIII. Isae indulgentiae non reagent suspensae Anno Sancto. — 20. Circa iam indulgentiam emanatum est speciale indultum pro regularibus et iis in religiosis domibus commorantibus; et novissime a Benedicto XIV facta est pro omnibus specialis declaratio ac nova dispositio, quae affertur. — 21. Recitantes flexis genibus sub horam noctis ad pulsam campanam psalmum *De profundis*, etc., vel semel *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* cum versiculo *Requiem aeternam*, quas indulgentias lucrantur ex novissima concessione Clementis XII. Et istae indulgentiae acquiruntur, sive praedictae orationes recitentur ante, sive post horam noctis, juxta locorum consuetudinem. — 22. Ad indultum Benedicti XIII sub n. 20 allatum extendatur etiam pro *De profundis*. — 23. Habentes coronas, rosaria, cruce, et imagines, seu numismata aut reliqua cum indulgentiis ordinariis solitis concedi a Romanis Pontificibus pro canonizatione sanctorum, quas indulgentias lucrantur. — 24. Visitantes septem principales ecclesias urbis Romae lucrantur maximas indulgentias, et quas. — 25. Undenam sumpsit initium visitatio septem Romanarum ecclesiarum? — 26. Visitantes septem altaria in aliqua ecclesia habente indultum apostolicum lucrantur omnes indulgentias quas lucrarentur si visitarent septem altaria sita, et ad id designata in basilica principis apostolorum de Urbe. — 27. Recitantes orationem *Domine Jesu Christe*, etc., consequuntur octoginta annos indulgentiae. — 28. Assignantur indulgentiae concessae assistentibus missae et divino officio, et respective recitantes ac celebrantes in quibusdam solemnitatibus. — 29. Indulgentiae suspensae anno Jubilei possunt applicari animabus purgatorii per modum suffragii. — 30. Alia ad rem, remissive. — 31. Indulgentiae per visum a domino acceptae non admittuntur sub fide referentis. — 32. Indulgentia centum dierum conceditur recitantes genibus flexis singulis feri sextis quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem angelicam ad sonum campanae hora tertia post meridiem. — 33. In constitutione Benedicti XIV quae incipit *Ad Passionis* injungitur parochis, rectoribus, etisque superioribus, ut campanam uniuscujusque ecclesiae pulsari faciant tali hora. — 34. Indulgentiae concessae visitantibus ecclesias Urbis per octavam SS. apostolorum Petri, et Pauli. — 35. Indulgentia plenaria concessa pro ecclesia patriarchali Maronitarum. — 36. Indulgentiarum communicatio inter confratres B. M. V. de monte Carmelo et Tertiarios Capucinarum sancti Francisci revocatur. — 37. Indulgentia

centum dierum concedi potest a cardinali majori penitentiario omnibus Christianis qui se penitentiarii virga tangendos pie, reverenterque in tribus Urbis basilicis ipsis submiserint. — 38. Indulgentiae visitantibus ecclesiam concessae acquiri possunt absque eo quod SS. Sacramentum expositum sit. — 39. Indulgentia plenaria in articulo mortis applicari conceditur auctoritate apostolica ab episcopis et ordinariis inferioribus, etiam per alios subdelegatos. — 40. Ad eam acquirendam injungitur specialiter aegris moribundis acceptatio mortis in spiritu resignationis. — 41. Indulgentia plenaria conceditur per omnes ecclesiae ditionis dioecesis iis qui confessi et sacra communione refecti SS. Sacramentum expositum visitaverint diebus bacchanalibus. — 42. Praefatam indulgentiam ad omnes ecclesias catholici orbis pro triduo expositionis SS. Sacramenti numero extendit Clemens XIII. — 43. Docentes rudes homines orationis mentalis regulam et modum itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere poenitentes ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos et totidem quadragenas de indulgentia. — 44. Item si assidue eo convenerint semel in mense, vere poenitentes et communione refecti, orantesque more in indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam defunctis etiam applicandam lucrantur. — 45. Indulgentias in forma jubilei concessas abrogavit Clemens VIII. — 46. Clemens XII indulgentiam plenariam die ad libitum quotannis eligenda, concessit iis qui anno integro ad pulsam campanam sub horam noctis recitaverint *Ps. De profundis*, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem*, in suffragium defunctorum sub conditionibus ut ibi. — 47. Adducitur decretum S. C. pro indulgentiis concessis iis qui pie ac devote actus virtutum theologiarum recitant. — 48. Adducitur rescriptum pro Christianis morantibus in imperio Sinico, etc. — 49. Superiores cujuscunque ordinis, ceterique habentes facultatem communicandi privilegia, etc., non possunt privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro sui arbitrio. — 50. Indulgentiae concessae Ecclesiis alicujus ordinis, congregationis, etc., non debent censeri concessae etiam ecclesiis tam parochialibus quam non parochialibus ab ejusmodi ordine dependentibus. — 51. Afferuntur pro ecclesiis parochialibus duo S. congreg. Indulg. decreta. — 52. Facultas concessa a Clemente XIV impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis in locis missionum. — 53. Modus a Benedicto XIV approbatus pro impertienda benedictione in articulo mortis. — 54. Afferuntur tabulae designans horarium in materia indulgentiarum.

(1. Alios salutantes dicendo suo vulgari seu latino sermone *Laudetur Jesus Christus*; et respondentes *In saecula*, vel *Amen*, aut *Semper*, lucrantur quinquaginta dies indulgentiae: Sixtus V constitutione incipiente *Reddituri*; et insuper lucrantur alios centum dies ex concessione Benedicti XIII die 22 Jan. 1728. (2. Nominantes reverenter nomen *Jesu* vel nomen *Mariae* lucrantur viginti quinque dies: Sixtus V, ibidem. (3. Habentes talem piam consuetudinem sic salutandi, et respondendi, vel nominandi idem nomen *Jesu*, si in articulo mortis ore, vel corde (si ore non potuerint) idem nomen invocaverint, lucrantur indulgentiam plenariam: Sixtus V, ibidem. (4. Recitantes litanias ejusdem Sanctissimi Nominis lucrantur trecentos dies indulgentiae: Sixtus V, ibidem. Recitantes autem litanias beatissimae virginis *Mariae* lucrantur ducentos dies indulgentiae: Sixtus V, ibidem. (5. Praedicatorum

FERRAR. IV.

tores qui inter praedicandum monuerint auditores ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen *Jesu* et *Mariae*, et quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, lucrantur easdem indulgentias: Sixtus V in cit. constit. incip. *Reddituri*. Et sic expresse quoad omnia supradicta habetur ibi:

« Quia non est aliud nomen sub caelo in quo nos oporteat salvos fieri, nisi nomen *Jesu*, ideo omnibus et singulis Christianis fidelibus qui hoc modo salutaverint alios, nempe suo vulgari seu latino sermone: *Laudetur Jesus Christus*, et his qui sic responderint *In saecula*, vel *Amen*, aut *Semper*, utique tam salutantibus quam respondentibus quinquaginta, ubicunque id factum fuerit. Qui autem nomen *Jesu* nominaverint reverenter, vel nomen *Mariae*, viginti quinque dies. Qui vero in mortis articulo, ore, vel corde (si ore non potuerint) idem Nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi vel nominandi idem Nomen *Jesu*, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem. Quique litanias ejusdem SS. Nominis recitaverint, trecentos; qui litanias ejusdem B. virginis *Mariae*, ducentos: nec non praedicatoribus verbi Dei qui inter praedicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen *Jesu* et *Mariae* auditores monuerint, et quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias ac peccatorum remissiones consequantur, auctoritate et tenore praemissis concedimus, et largimur. Volumus autem ut praedictae litaniae Nominis *Jesu* et beatae *Mariae* juxta morem et consuetudinem in Romana curia et domo beatissimae *Mariae* virginis usitatum recitentur. »

(6. Missae sacrificium devote audientes aut celebrantes lucrantur triginta mille et octocentos annos indulgentiae applicabilis per modum suffragii animabus purgatorii: triginta mille ex concessione Innoc. IV, octocentos ex concessione Urbani IV, Martini V, Eugenii IV, et Sixti IV, quorum quilibet concessit pro omni missa ducentos annos. Sic apud Lantuscum in Octavario exercitiorum spiritualium fol. 61, Romae impresso an. 1660, cum approbatione et facultate reverendissimi patris magistri sac. palatii apostolici.

(7. Quinquies *Pater* et *Ave* recitantes in honorem passionis Christi Domini et B. Virginis amaritudinum lucrantur decem mille annos indulgentiae, ex concessione Leonis X omnibus fidelibus facta ad instantiam Fratrum Minorum. Sic apud doctissimum P. Dominicum Viva in Appendice Indulgentiarum, § ult.; Kazenb. l. c., n. 128; Casarubium in Compend. Privil., verb. *Indulgentiae quoad saeculares*, et alios.

(8. Recitantes tertiam rosarii partem lucrantur quinque annos et totidem quadragenas indulgentiae, ex concessione Sixti IV apud Navarr. de Oration. miscellan. 1; Gobat tract. 4 de Indulg., part. II, cap. 31; Kazenb. l. c., n. 128; Viva, loc. cit., § ult. Et insuper,

18

ad instar recitantium coronam S. Birgittæ, lucrantur centum dies indulgentiæ pro qualibet oratione Dominica, et centum pro qualibet salutatione Angelica; et si quotidie per integrum annum recitaverint, semel in anno, die per unumquemque eligenda, confessi ac sacra communione refecti, et orantes pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. matris Ecclesiæ exaltatione, consequuntur indulgentiam plenariam, etiam applicabilem animabus in purgatorio existentibus. Rosaria tamen debent esse juxta solitum benedicta a PP. ordinis Prædicatorum. Sic novissime concessit ac declaravit Benedictus XIII, ut habetur ex decreto sacræ congreg. indulgentiis et S. reliquiis præpositæ, dat. die 13 Apr. 1726 et signat.

LUDOVICUS CARD. PICUS, PRÆFECTUS.

Raphael Cosmus de Hieronymis, Secret.

Nota tamen eos qui recitando rosarium, omnia consueta xv mysteriorum meditatione, alia meditantur, indulgentiis rosarii non gaudere, ut patet ex sequenti sacræ congregationis Indulgentiar. declaratione.

« Cum sacræ congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ P. procurator generalis ordinis Prædicatorum supplices preces porrexerit pro declaratione dubii: An qui SS. Rosarium B. M. V. recitant, omnia consueta meditatione mysteriorum humanæ reparationis, et illorum vice mortem aut cætera novissima, vel alia pia ac religiosa meditantur, indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione rosarii lucrantur? Sac. congreg. die 6 Augusti 1726 respondit *Non lucrari*. Quam sacræ congregationis declarationem per me secretarium SS. domino nostro relatam, Sanctitas Sua benigne aproboavit. Datum die 12 Augusti 1726.

« L. CARD. PICUS, PRÆFECTUS. »

« Loco ✕ sigilli.

« Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr. »

Excipiuntur tamen rudes et imperiti, qui sola devota recitatione rosarii indulgentias prædictas lucrari possunt, ut declaravit idem Benedictus XIII in const. incip. *Pretiosus*, § 4, ibi: *Ad consolationem personarum vero rudiorum ac divinis meditandis mysteriis in præfato sancto rosario comprehensis minus idonearum, præterea declarantes eas devota ac pia ejusdem rosarii recitatione prædictas indulgentias, juxta posterius hoc decretum mysteria illa meditantibus solummodo concessas, etiam lucrari posse: tametsi plane volumus ut iisdem reparationis nostræ mysteriis sacratissimis meditandis, juxta rosarii institutum, assuescant.*

Nota quod posterius hoc decretum indicatum a Benedicto XIII est illud ipsum sac. congregationis hic immediate adductum. Et hic recolendæ memoriæ Benedictus XIII, ex Napoleone Ursino precibus S. P. Dominici vitæ restituto, est oriundus, ex Bullario Ordinis Prædicatorum, tom. I, pag. 9, Const.

XI, n. 1, et vinculo cognationis S. Thomæ de Aquino conjunctus, ex eodem Bullario, tom. II, p. 162, Const. XI, n. 4.

Liceat mihi hoc addere decretum.

Ex audientia sanctissimi domini nostri Clem. papæ XIV habita die 19 Septembris 1773.

a Cum Christifideles inter hæreticos et infideles degentes confraternitati Rosarii sanctissimæ Dei Genitricis ascripti, ob frequentes persecutiones piis quibusdam exercitiis a Sede Apostolica ad indulgentiarum consecutionem statulis, vacare ut plurimum impediuntur, sanctissimus dominus N. Clemens XIV, ad relationem mei infrascripti sac. congr. de Propag. Fide secretarii, benigne concessit confessariis uniuscujusque ex prædictis Christifidelibus facultatem commutandi memorata pia exercitia in aliud opus, quod virtutem charitatis vel religionis respiciat, ac circumstantiis personarum, locorum, et temporum conveniat; quibuscunque in contrarium nihil obstantibus. Datum Romæ die, et anno, quibus supra.

« Stephanus Borgia, sacræ congregationis « de Propaganda Fide secretarius. »

(9. Recitantes quindecim *Pater et Ave* pro iis qui in mortali degunt, consequuntur tertiam partem remissionis peccatorum, idque toties quoties recitaverint: *Viva*, loc. cit. ex Compend. Privil. Societatis, verb. *Indulgentiæ*, § 22.

(10. Recitantes *Ave Maria* lucrantur triginta dies indulgentiæ, ex concessione Joannis XXII, ac totidem alios, ex concessione Urbani IV. Recitantes *Salve Regina* lucrantur quadraginta dies. Caput inclinantes ad veneranda nomina *Jesu et Mariæ* lucrantur viginti dies. Caput inclinantes ad *Gloria Patri* lucrantur triginta dies. Genuflectentes coram SS. Sacramento lucrantur bis centum dies. Osculantes sanctam crucem lucrantur 40 dies, ex concessione ejusdem Joannis XXII; et unum annum, ex concessione Clementis IV: sic *Viva* l. c., § ult.; Kazenb. loc. cit., num. 129, et alii. Recitantes seu dicentes *Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio B. virginis Mariæ*, lucrantur indulgentiam centum annorum, ex concessione Gregorii XV, anno 1621: *Viva*, loc. cit., § ult., et novissime confirmata a Clemente XII, mense Novembris 1731. — De authenticitate indulgentiarum a n. 6 usque adhuc descriptarum vide prius P. Minderer, par. II, Confer. 8. n. 501, cui major fides in hac materia quam P. Viva citato a nostro auctore adhibenda est.

(11. Sacerdotes ante celebrationem sacri recitantes *Ego volo celebrare Missam*, etc., lucrantur indulgentiam quinquaginta dierum, ex concessione Gregorii XIII. Sacerdotes legentes missam prius quam pergant ad altare ad celebrandum, lucrantur indulgentiam 40 dierum, ex concessione Joannis XXII. Recitantes in fine horarum canonicarum, ad quas tenentur, orationem a D. Benaventura doctore nostro Seraphico compositam, videlicet *Sacrosanctæ et individuae Trinitati*, cum

Pater et Ave, consequuntur remissionem culpæ in recitatione ex humana fragilitate contractarum, ex concessione Leonis X.

(12. Ex concessione Clem. VIII, consequuntur remissionem omnium commissorum seu omissorum in missa, nec non 2300 annorum indulgentiam sacerdotes omnes recitantes sequentem orationem:

Obsecro te, dulcissime Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus qua muniar, protegar, atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque quibus pascar, inebrier, atque delecter; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum, mors tua sit mihi gloria sempiterna: in his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas, et dulcedo cordis mei. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Joannes XXII concessit sacerdotibus devote post missam orationem sequentem recitantibus veniam poenæ debitæ mille peccatis lethalibus, nec non genuflexis indulg. annorum 10,000.

Anima Christi, sanctifica me; Corpus Christi, salva me; Sanguis Christi, inebria me; Aqua lateris Christi, munda me; Sudor Christi, vivifica me; Passio Christi, conforta me; o bone Jesu, exaudi me; intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari a te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, jube me venire ad te, et pone me juxta te, ut cum sanctis angelis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Vide tamen P. Minderer, loc. cit.

(13. Comitantes sacrum viaticum cum lumine accenso, quando defertur ad infirmos, lucrantur indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum. Comitantes sine lumine lucrantur indulgentiam quinque annorum et totidem quadragenarum. Legitime impediti lumen seu facem per alios ea occasione deferendam mittentes, lucrantur indulgentiam trium annorum et totidem quadragenarum. Sic concessit Innocentius XII die 5 Jan. 1695, const. incip. *Debitum pastoralis officii*, confirmando et ampliando concessionem jam factam ab Innocentio XI die 1 Octob. 1688. Insuper legitime impediti qui personaliter comitari nequiverint sacrum viaticum, recitando semel *Pater noster et Ave Maria* ad mentem Pontificis, lucrantur indulgentiam centum dierum, ex concessione Pauli V sub die 3 Novemb. 1606, confirmata a Clemente X *vivæ vocis oraculo* per viam sacræ congregationis Indulgentiarum die 23 Aprilis 1676.

(14. Interveniens orationi xl horarum per spatium unius horæ lucrantur indulgentiam trium annorum. Interveniens processionem factæ sive in initio sive in fine dictæ orationis, si fuerit in cathedrali, lucrantur indulgentiam decem annorum; et si in aliis ecclesiis indulgentiam quinque annorum. — Consueti dictis piis exercitiis, semel in anno, die præscripta ab episcopo confessi et sacra communione refecti, lucrantur indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum. Sic concessit Gregorius XIII die 3 Apr. 1580, const. incip. *Quam uberes*.

(15. Qui ad pulsum seu sonum campanæ in signum elevationis sanctissimi Sacramenti in missa conventuali aut parochiali genuflexi oraverint, sive domi, sive ruri, sive in viis, aut ubicunque id fecerint, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam unius anni. Illi vero qui ad hunc finem seu respectum ad ecclesiam perrexerint, et ibi in dicto tempore sanctissimum Sacramentum adoraverint, lucrantur pro qualibet vice indulgentiam duorum annorum. Qui diebus festivis vere poenitentes confessi fuerint, ac sacra communione refecti, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam quinque annorum. Soliti communicare semel in mense, et in solemnitatibus Domini Nostri Jesu Christi, B. V. M., omnium apostolorum, et S. Joannis Baptistæ, pro qualibet vice lucrantur indulgentiam decem annorum. Et semel in anno in festo principali civitatis seu loci, confessi et sacra communione refecti, lucrantur indulgentiam plenariam. Sic concessit Gregorius XIII die 10 Aprilis 1580, const. incip. *Ad excitandum*.

(16. In regnis regi Hispaniarum subjectis, quicumque die commemorationis defunctorum celebrat, animam liberare potest a poenis purgatorii, ex concessione Innocentii XI 30 Sept. 1679. (17. Qui communicant ubi singulis mensibus fit communio generalis a Patribus Societatis, lucrantur indulgentiam plenariam pro defunctis applicabilem, dummodo in ea ecclesia ad mentem Pontificis vocaliter oraverint. Urbanus VIII illam concessit in bulla incip. *Ad augendum* 10 Maii 1634, per quindecim annos, et decimo quinto quoque anno renovatur. *Viva*, in Append. Indulg., § 2.

(18. Recitantes flexis genibus vespere ad pulsum campanæ *Angelus Domini, Ecce Ancilla Domini, Verbum caro*, etc. cum tribus *Ave Maria*, etc., lucrantur indulgentiam plenariam, ex concessione Adriani VI, ut refertur communiter cum Pellizar. tr. 10, cap. 9, n. 41; Gobat, Escobar, Rodriguez, Lezana, Diana, par. IV, tr. 4, resol. 24: *Viva*, l. c. § 2; La Croix, lib. VI, part. II, n. 1370. Illa autem quæ declarata est apocrypha ab Innocentio XI die 7 Martii 1678, decr. incip. *Delata sapius*, est solum indulgentia Clementi X adscripta recitantibus mane, vel meridie, aut vespere, *Angelus Domini*, cum *Deo gratias, et Mariæ*, ut notant *Viva* loc. cit., § 2; La Croix loc. c., 1370, et alii.

(19. Novissime autem, die 14 Aprilis 1724, Benedictus XIII concessit omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui mane, aut meridie, seu vespere ad pulsum campanæ recitaverint flexis genibus *Angelus Domini, Ecce Ancilla Domini, Verbum caro*, cum tribus *Ave Maria*, et oraverint ad mentem Pontificis indulgentiam plenariam in uno die cujuslibet mensis per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo. In reliquis vero anni diebus, quoties id egerint indulgentiam centum dierum, ut apparet in sequenti brevi.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Injunctæ nobis divinitus apostolicæ servitutis ratio postulat ut cælestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris beatissimæ atque augustissimæ cæli reginæ virginis Deiparæ Mariæ, Patronæ et Advocatæ nostræ venerationem, excitandamque et confovendam erga illam fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum. Itaque de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui mane, aut meridie, seu vespere, ad pulsum campanæ: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, cum tribus *Ave Maria*, flexis genibus devote recitaverint, et pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam, in uno die cujuslibet mensis duntaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrificandam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero anni diebus iisdem Christifidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 14 Septembris 1724; pontificatus nostri anno primo.

Et hæc duæ indulgentiæ neque Anno Sancto remanent suspensæ, ut declaravit idem Benedictus XIII die 10 Januar. 1725.

F. CARD. OLIVERIUS.

(20. Circa quam indulgentiam ex post die 5 Dec. 1727, emanatum est sequens indultum pro regularibus et aliis in religiosis domibus commorantibus

INDULTUM quo conceditur ut regulares alique in religiosis domibus commorantes, si consuetas preces *Angelus Domini, etc.*, ad sonitum campanæ recitare non possint, nihilominus indulgentias alias concessas lucrari valeant, dummodo easdem preces recitent flexis genibus, statim ac opus ad regularem observantiam spectans expleverint.

« Litteris in forma brevis emanatis die 14 Septembris 1724, sanctissimus dominus noster Benedictus papa XIII, omnibus utriusque

sexus Christifidelibus ad sonitum campanæ consuetas preces *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu sancto; Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, et ter salutationem Angelicam flexis genibus recitantibus semel in mense, die ab unoquoque eligendo, si confessi et sacra communione refecti fuerint, et pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, et sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione oraverint, plenariam indulgentiam concessit. Reliquis vero diebus prædictas preces, ut supra, recitantibus indulgentiam centum dierum.

« Quia vero Sanctitati Suae expositum fuit quod sæpe regulares alique in religiosis domibus commorantes, et tempore quo mane, meridie, aut vespere campanæ pulsantur, quibusdam actionibus ad regularem observantiam spectantibus detinentur, et ideo easdem preces recitare tunc temporis minime possunt, ac insimul præfatorum nomine humillime supplicatum fuit ut ex Apostolicæ Sedis dispensatione prædictas preces alio tempore recitando, easdem indulgentias lucrari valeant.

« Quapropter sanctissimus Dominus noster, audito voto sacre congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ, benigne indulsit ut regulares omnes alique in religiosis domibus commorantes, si dum, ut supra campanæ pulsantur aliquod opus exercent quod ad regularem observantiam pertineat, nihilominus supra memoratas indulgentias acquirere possint, dummodo statim ac opus prædictum expletum fuerit preces supra memoratas flexis genibus devote recitent.

« Datum die 5 Decemb. 1727.

« L. CARD. PICUS, PRÆFECTUS.

« Loco ✕ sigilli.

« *Raphael Cosmus de Hieronymis, Secr.* »

Et novissime a Benedicto XIV facta est pro omnibus sequens specialis declaratio et dispositio.

NOTIFICAZIONE. *Fr. Gio. Antonio del titolo de' Ss. Silvestro, e Martino a' Monti, della S. R. C. prete cardinale Guadagni, della Santità di Nostro Signore vicario generale, etc.*

La santità di Nostro Signore sempre intenta a dar eccitamento, e stimolo a' fedeli di ricorrere al Signore per ottenerne le sue celesti benedizioni, volendo togliere la difformità, che s'incontra fra questi nelle pubbliche preghiere, quali si fanno al suono della campana la mattina, il mezzo giorno, e alla sera, allor quando si recita la solita orazione dell'*Angelus Domini, etc.*, e con essa tre volte l'*Ave Maria, etc.*, conferma in primo luogo le indulgenze già concesse dalla santa mem. di Benedetto XIII, cioè l'indulgenza plenaria e remissione di tutti peccati universalmente, ed in perpetuo a quelli, che veramente pentiti, confessati, e comunicati, in un giorno di ciaschedun mese a loro eie-

zione, reciteranno, come sopra, la mentovata orazione, e negli altri giorni dell'anno l'indulgenza di cento giorni per ciascheduna recita, parimente in perpetuo; ed inerendo alla disposizione della rubrica comanda, che detta orazione dal vespero di ciaschedun sabbato a tutta la domenica seguente si reciti in piedi.

Comanda inoltre, che durante il tempo pasquale, quale termina alli primi vesperi della domenica della SS. Trinità, invece della medesima orazione, si reciti in piedi l'antifona: *Regina cæli, etc.*, col suo versetto ed orazione corrispondente: *Deus, qui per resurrectionem, etc.*, per la recita della quale antifona concede anche benignamente la Santità Sua l'istesse indulgenze, come sopra, esortando premurosamente tutt'i fedeli a non trascurarne l'acquisto.

Quelli poi, che non sapranno a mente la suddetta antifona, acquisteranno le medesime indulgenze, recitando, come sopra, l'orazione dell'*Angelus Domini, etc.*

Dat. in Roma dalla nostra solita residenza, li 20 Aprile 1742.

F. G. A. CARD. VICARIO.

Gaspar Arch. Ori, Secret.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

Ex audientia Sanctissimi habita die 18 Martii 1781.

« Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia PP. VI, referente me infrascripto, sac. congr. de Propaganda Fide secretario, benigne concessit, ut in iis locis ubi deest campanarum usus, omnes et singuli Christifideles corde saltem contriti qui ter in die, scilicet primo diluculo, circa meridiem, et sub vesperam recitaverint piam precem quæ incipit *Angelus Domini, etc.*, cum tribus salutationibus Angelicis, vel *Regina Cæli, etc.*, tempore paschali, et circa horam primam noctis recitaverint psalmum *De profundis, etc.*, vel earum loco orationem Dominicalem et salutationem Angelicam, omnes et singulas indulgentias lucrari valeant quæ recitantibus easdem preces ad signum campanæ a Summis Pontificibus hactenus concessæ sunt, quibuscunque in contrarium non obstantibus, etc.

« Datum Romæ ex ædibus dictæ Sacre Congregationis, die et anno quibus supra.

« *Stephanus Borgia Sac. Congr.*

« *de Propaganda Fide Secr.*

« *Gaspar Arch. Ori, Secret.* »

(21. Recitantes flexis genibus sub horam noctis ad pulsum campanæ psalmum *De profundis, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo Requiem æternam*, in suffragium animarum purgatorii: quo die id egerint, lucrantur indulgentiam centum dierum; et qui per annum præmissa peregerint, in uno die cujuslibet anni per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, confessi et sacra communione refecti, lucrantur indulgentiam

plenariam ex novissima sequenti concessione Clementis XII.

INDULGENTIÆ pro recitantibus sub horam noctis ad pulsum campanæ psalmum *De profundis, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo Requiem æternam, etc.*

CLEMENS PAPA XII

Ad perpetuam rei memoriam.

« Cælestes Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem nobis commisit Deus, ad Christifidelium pietatem fovendam atque augendam et animarum salutem promovendam, libenter erogamus: itaque de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui sub horam noctis ad pulsum campanæ psalmum *De profundis, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo Requiem æternam, etc.*, in suffragium animarum Christifidelium defunctorum, flexis genibus devote recitaverint, quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Insuper eisdem Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint: plenariam in uno die cujuslibet anni duntaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrificandam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 14 Augusti 1736, pontificatus nostri anno septimo.

« F. CARD. OLIVERIUS. »

Et istæ indulgentiæ possunt acquiri, sive prædictæ orationes recitentur ante, sive post horam noctis, juxta cujusque loci consuetudinem, ut declaravit idem Clemens XII die 12 Decembris.

(22. An autem indultum concessum a Benedicto XIII allatum supra num. 20 pro Regularibus et aliis in religiosis domibus commorantibus, quod scilicet possint ipsi suprædictam recitationem salutationis Angelicæ differre post terminatos actus religiosæ communitatis, si dum in ipsis reperiuntur contingat hora et sonitus campanæ pro tali recitatione, extendi, et applicari possit etiam pro consimili dilatione recitationis psalmi